Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Ambrosii Calepini Dictionarivm Vndecim Lingvarvm

Calepino, Ambrogio

Basileae, 1616

D ante V

urn:nbn:de:bsz:31-107476

Visual Library

Druſus, δρούσος, Vir Romanus, genere & eloquentia magnus, ſed ambitioſus, & ſuperbus. Catonis avus, de quo ſic Cic. 4. de Finib. Conferam autẽ, *inquit*, avum tuum Druſum cum C. Graccho ejus ferè æquali. Ædilis munus magnificentiſſimũ dedit: Quæſtor in Aſia nullis inſignibus uti voluit, nequid ipſo eſſet inſignius: Tribunus pleb. Latinis civitatem, plebi agros, Equitibus curiam, Senatui judicia permiſit. ¶ Fuit & ante hunc M. Livius Druſus, cognomento Salinator, qui unà cũ Cl. Nerone collega ſuo in Conſulatu Aſdrubalem vicit. Virg. 6. Aen. Quin Decios, Druſosq; procul, *&c.* ¶ Druſus item alius Ciceronis ſodalis, de quo 3. de Nat. deor. ſic ſcribit: Cur ſodalis meus interfectus domi ſuæ Druſus, *&c.* ¶ Fuit & hoc nomine Liviæ Auguſtæ filius, qui in Germania periit: de cujus morte extat Ovidii carmen conſolatorium ad Liviam matrẽ.

Dryas, δρύας, Filius Hippolochi, & pater Lycurgi, qui in bello Thebano Eteoclis partes ſequutus, quum in pugna Parthenopæum lethali ictu vulneraſſet, à Diana ſagittis occiſus eſt. Statius: Horrendumq; Dryanta movet, *&c.*

Dryades, [δρυάδες. Ger. Waldgöttin] Nymphę ſylvarũ præſides: ita dictę à Grgco nomine δρῦς, quod quàvis propriè quercũ ſignificet, accipitur tamẽ pro quavis arbore. Virg. 1. Georg. Ferte ſimul Faunique pedem, Dryadesq; puellæ. Hamadryades autẽ dicuntur ſingularum arborum nymphæ, quæ cũ iis unà naſci & occidere dicuntur: cujuſmodi deſcribit Ovid. lib. 8. Metam. quercu annoſa ab Eriſichthone ſucciſa interemptam.

Dryantiades, δρυαντιάδης. Dictus eſt Lycurgus Thraciæ rex, à patre Dryante. Ovid. in Ibin: Vtque Dryantiadæ Rhodiapeta regna tenenti.

Dryidæ, [δρυίδαι. Ger. Die weiſen und geiſtlichen bey den uralten Galliern.] ſive Druidæ, ſive etiam Druides, dicti ſunt Gallorum ſacerdotes, qui de totius gentis controverſia conſtituebant. Nomen habere creduntur à dictione δρῦς, quæ olim quanvis arborem: hodie verò peculiariter quercum ſignificat, quòd maximè in lucis verſabantur. Plin. lib. 16. cap. 44: Nihil habent Dryidæ (ita enim Galli ſuos appellant magos) viſco, *&c.* Cæſ. lib. 6. bell. Gall. Druidæ rebus divinis interſunt, ſacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur. Ad hos magnus adoleſcentium numerus diſciplinæ cauſa concurrit, magnoque ſunt apud eos in honore: nam ferè de omnibus controverſiis publicis, privatiſque conſtituunt. Et ſiquod eſt admiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de hæreditate, de finibus controverſia eſt, iidem decernunt, præmia, pœnasq; conſtituunt. Vide de his plura apud Cæſarem, quæ hic brevitatis cauſa omittimus. Hanc religionem (inquit Suetonius) ſub Auguſto interdictam, Claudius imperator quintus penitùs abolevit. Pro iiſdem etiam dicimus Druides, Druidũ, per tertiam declinationem. Cæſar bell. Gall. lib. 6: Sed de his duobus generibus alterum eſt Druidum, alterum Equitum. Et paulò poſt: His autem omnibus Druidibus præeſt unus, qui ſummã inter eos habet autoritatem.

Drylæ, δρυλαί, vicus, *ωκισμένοι*, procul à Pontica Trapezunte, Stephan.

Dryme, δρυμεί, Vrbs Libyæ, Steph.

Drymia, δρυμία, Vrbs Phocidis, Steph.

Drymuſa, δρυμοῦσα, Inſula Ioniæ, Steph.

Drymodis, Peloponneſi regio mediterranea, poſtea Pelaſgis, & noviſſimè Arcadia dicta. Plin. lib. 4. cap. 6.

Dryope, δρυόπη, vel δρυόπις, urbs circa Hemoniã: Dryopes autẽ circa Oetam, à Dryope Eurypyli filia dicti ſunt, Steph.

Dryopes, δρύοπες, Populi Epirotici, de quibus Strabo lib. 8. & 13. Virgil. 4. Aeneid. Cretesque, Dryopesque fremunt, pictiq; Agathyrſi.

Dryopia, δρυοπία, δρυοπίς, regio Dryopum circa Trachinam, Stephan. Vide CYTHNVS.

Drys, δρῦς, Vrbs Thraciæ, & alia Oenotrorum: item vicus Lyciæ circa Arum fluvium, Steph.

Dryſus, vir Trojanus apud Homerum in Iliade.

Dryuſa, δρυοῦσα, Samos olim dicta eſt, Steph.

D ante V.

Dubis, Galliæ fluvius, Veſuntionem Sequanorum oppidum medium ſecans, Dolamque alluens. [German. Die Dub / iſt ein fluß in Burgund / fleußt gen Biſantz und Doll / heißt jetzt le Doux.] Meminit ejus Cæſar, lib. 1. bell. Gall. A' nonnullis Alduaſdubis appellatur.

Dubitapes, fictor egregius, qui vaſa ex rubra creta primus finxit.

Duellonam, Bellonam antiqui appellabant, teſte Varrone lib. 4. de Lingua Latina. *ἐνυώ*.

Ducona, δουκώνα, Vrbs Cadurcorũ in Gallia Aquitanica, apud Ptolemæum, lib. 2. cap. 8.

Duillius, ſive (ut alii vocant) Duellius, Nomen civis Romani, qui primus Romę navali certamine triumphavit. Is jam ſenex & trementi corpore, in quodam jurgio audivit exprobrari ſibi os fœtidum, & triſtis ſe domum contulit. Quumque uxori queſtus eſſet quare nunquam ſe monuiſſet, ut huic vitio mederetur: Feciſſem (inquit illa) niſi putaſſem omnibus viris ſic os olere. Cic. in Orat. Quid verò licentius quàm quòd hominum etiam nomina contrahebant: quò eſſent aptiora? nam ut Duellum, bellum, & Duis, bis: ſic Duellium cum qui Pœnos claſſe devicit, Bellium nominaverunt, quum ſuperiores ſemper appellati eſſent Duellii.

Dulichium, δουλίχιον, Inſula eſt in mari Ionio, non procul ab Ithaca, una ex iis quibus Vlyſſes imperabat. Virgil. 3. Aen. In medio apparet fluctu nemoroſa Zacynthus, Dulichiumque, Sameq;, & Neritos ardua ſaxis.

Dulichius, a, um, Propertius: At quum Dulichias Pallas ſpatiatur ad aras.

Dulopolis, [δουλόπολις, ἡ δούλων πόλις. Ger. Knechtſtatt in Libia gelegen.] id eſt, Servorum civitas, in Libya eſt. Alia Hierodulurum eſt, in qua unicus liber eſt. Ajunt & in Creta Dulopolin eſſe mille virorum. Eſt etiam parva regio in Aegypto hujus nominis, Steph.

Dumatha, δουμαθά, Vrbs Arabiæ, Steph.

Dunium, δούνιον, Ptolemęo urbs eſt Britannię, inter Auſtrum, & Occaſum ſita.

Dura, æ [דּוּרָא durá.] δοῦρα Stephano, oppidum Meſopotamiæ, cujus incolæ dicuntur Dureni, δουρηνοί.

Duram, δουρᾶν, Stephanus, Quidam putant eſſe nomen fluvii, circa quem gigantes turrim Babel fecerunt. Alii volunt eſſe campum. Vnde eſt apud Danielem: in campo Duram ſtatuit Nabuchodonoſor ſtatuam.

Durias, ſive Durias, δουρίας Straboni, fluvius eſt Edetanorum, in tractu Tarraconenſis Hiſpaniæ, Valentiam præterfluens, & in ſinum Sucronẽſem ſe exonerans. Plin. lib. 3. cap. 3, & Pomponius lib. 2. Saluſt. Turiam vocat, lib. 4. Hiſtoriarum: Inter læva mœnium dextrum flumen Turia, quod Valentiam parvo intervallo præterfluit. Quam ſcripturæ rationem in Claudiano quoq; obſervavimus, qui ſic habet: Floribus & roſeis formoſus Turia ripis. Phocas, aliiq; nonnulli non incelebres Grammatici, nomen hoc neutro genere efferendum contendunt, quemadmodum & Mulucha, pro Africæ fluvio. ¶ Eſt & alter ejuſdẽ nominis fluvius in latere Occidentali Hiſpaniæ, per Vectones, & Vaccæos in Oceanum influens, teſte Strabone lib. 3. Ptolemęus lib. 2. cap. 6, Doriam appellat. Plin. item libro 3. cap. 16, Durias duos commemorat ex Apennino ortos, & in Padum influentes. Item alium in finibus Germanię, Suevos à Carnuntis dirimentem, lib. 4. cap. 12.

Duriopus, δουρίωπος, Vrbs & regio Macedoniæ, Steph.

Durocottorum, δουροκόττορον, Galliæ Belgicæ urbs eſt, Rhemorum metropolis, apud Ptol. lib. 2. cap. 9.

Duſare, δουσάρη, Scopulus & vertex altiſſimus Arabiæ: ſic dictus à Duſaro deo, qui apud Arabes & Dacharenos colitur. Gentile, Duſareni, Steph.

D ante Y.

Dymas, Virg. 2. Aen. Iphitus oblatam per Lunam Hypanisq; Dymasq;. Item Dymam, tribus Dorienſium, Steph.

Δυμβρος, ποταμὸς καὶ ἀπόλλων θυμβραῖος. Dymbrius, Vide THYMBRIA.

Dyme, δύμη, Vrbs Achaię ultima ad occaſum, quam Antimachus Cauconidem à Caucone fluvio cognominat, Steph.

Dynamene, Vide in D ante I, ubi malè collocatum eſt.

Dyndaſum, δύνδασον, Vrbs Cariæ, Steph.

Dyrbæi, δυρβαῖοι, Populi ad Bactros & Indiam pertinentes. Vide plura apud Steph.

Dyrrhachium, [δυῤῥάχιον. Vulgò Durazzo. Germ. Ein Statt in Macedonien am Adriatiſchen Meer gelegen.] Vrbs eſt in ea parte Macedoniæ, quæ mari Adriatico incumbit, diſtans à Brundusio CCXX. M. paſſ. trajectu. Dictum autem volunt Dyrrhachium à nomine ejus qui urbi portũ adjecit: nam antea Epidamnus vocabatur, teſte Plinio lib. 3. cap. 23. Hanc urbem Cicero exilii ſui tempore amiciſſimam expertus eſt, & officioſiſſimam, in qua & commoratus eſt, donec Senatuſconſulto revocaretur. Vide plura apud Steph. cui alia hujus nominis Laconiæ urbs eſt, una ex centum: & Illyriæ regio Dyſtachia, cujus incolæ Dyſrachii & Dyſracheni.

Dyſpontium, δυσπόντιον, Vrbs Piſæ, à Dyſpontio Pelopis filio, Stephanus.

Dyſtus, Vrbs Eubœæ, δύστος, Steph.

E

EAntes, Nomen proprium hiſtorici Cyziceni, qui fuit eadem ętate, qua Pygmalion in Oriente regnabat.

Eanus, à veteribus dictus eſt, qui poſtea Ianus, qui ineunti anno credebatur præſidere. Sæpè enim antiqui ſecundã vocalem pro tertia uſurpaverũt, quod & ipſum teſtatur Quint. lib. 5. cap. 4. Quid hoc e quoq; i loco fuit, ut Menerva, & Leber, & Mageſter *&c.*

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg